



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Literae Sisensis Archiepiscopi Regis Armeniae Cancellarij ad D. Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

proximo naves ascendent in terrae sanctae subSIDium transituri. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiū, & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in divini nominis timore perfidens & in apostolica sedis reverentia perseverans, prædictum Regem & universam Armenorum Ecclesiam in lege Domini & nostra devotione confirmes, & eis, sicut per alias literas nostras mandavimus, formam apostolica remissionis exponas, & exhorteris ipsos attentiū ut se murum pro domo Domini opponant ascendentibus ex adverso, nec dubitent, si opus fuerit, pro illo fundere sanguinem qui pro eis crucis non dubitavit subire tormentum, cùm sic regnum sibi possint acquirere sempiternum & terrena in eccllesia laudabilis commercio commutare. Expectent autem efficax de cœlo auxilium, & festinum de terra succursum, & spem suam ponant in eo qui est in se sperantium fortitudo, qui facit in tentatione proventum, & post lacrymationem & flerum, gaudium & exultationem inducit. Datum ut suprā.

*Literæ Sisensis Archiepiscopi Regis Armeniae
Cancellarij ad D. Papam.*

Epiſt. 46.
Mitram & pal-
lium & indul-
genciam petit.

Paternitatis vestrae literas ea qua de-
cuit reverentia & devotione suscep-
mus, & per earum continentiam pleno
collegimus intellectu sanctitatem vestram
parvitatem nostram caritatis visceribus
amplexari. Continebatur etiam in literis
illis ut magisterium & primatum sanctæ
sedis apostolica recognosceremus, & in de-
votione ipsius persisteremus, & ut non so-
lum Regem, verum etiam & Barones &
reliquum populum ad fidem & unitatem
ejusdem induceremus. In verbo veritatis
ad hoc laborat nostra sollicitudo, ad hoc
inclinata est nostra intentio. Tenemur
nempe de obedientia vinculis & devotio-
nis reverentia omnibus mandatis sanctæ
sedis apostolica pro viribus obsecundare. Ea-
propter nulli veniat in dubium ut ubi ab
his quæ honori & utilitati ejusdem specta-
re videntur vel videbuntur, nostram sub-
trahamus voluntatem, immo manum ad
aratum mittemus, & ut bonus arator,
spinas & tribulos eradicare studebimus, &
terram bene laboratam ad honorem san-
ctæ apostolica sedis colere & exornare us-
que ad messem, Deo auxiliante, non defi-
ciemus. Super his igitur omnibus in qui-
bus parvitatem nostram vestra sanctitas
dignata est monere & exhortari, paterni-

tati vestra, quas sufficit nostra valetudo,
gratiarum actiones exsolviimus, de debito
& merito vobis adstricti. Quia vero in re-
motis partibus inter barbaricas nationes
ad Dei servitium sumus constituti, & in
propria persona vestram nequivimus, quod
moleste ferimus, visitare paternitatem,
flexis genibus cordis vestra supplicamus
sanctitati ut nos non tradatis oblivioni,
immo tanquam obedienti vestro manda-
tum vestrum humeris nostris imponere
non dedignemini, scientes nos ad omnia
benelacita vestra promovenda & ex-
equenda tam mente quam animo promptos
& paratos esse. Præterea nova vestra plan-
ta effecti, multa precum instantia expos-
cimus ut in memoriam dilectionis sanctæ
sedis apostolica anulum, mitram, & pale-
um nobis mittere dignemini, & ut ean-
dem remissionem quam peregrinis trans-
fretantibus pro Dei servitio conceditis, ex
parte vestra militibus pugnantibus sub il-
lustri Rege nostro contra crucis hostes pro
honore & defensione Christianitatis con-
firmare possimus, quatinus hujus remissio-
nis gratia sumptis animi viribus in bello
fiant audacieores.

Raynaldus ad
an. 1202. §. 44.

Archiepiscopo Sisensi.

Non processit ab homine, sed à Deo,
quoniam nec caro nec sanguis, sed
is potius cuius vices in terris gerimus Iesus
Christus tibi misericorditer inspiravit ut,
sicut per tuas nobis literas intimasti, magi-
sterium sedis apostolica recognosceres &
primatum, & in ipsis devotione perfidens,
non solum carissimum in Christo
filium nostrum Leonem Regem Armeniae
illusorem, sed populum ad id induceres &
Barones. Recognoscis etenim & per tuas
literas profiteris obedientia vinculis & de-
votionis reverentia te teneri universis
mandatis sedis apostolica pro viribus obe-
dire. Ideoque ab his quæ ad honorem, &
utilitatem ipsius spectare videntur, tuam
non subtrahis voluntatem. Nos igitur tan-
tae fidei puritatem & tantam devotionis
constantiam attendentes, ei à quo bonum
omne procedit, licet exiles, quas possu-
mus tamen gratiarum exsolviimus actiones
quod tam pium tibi tribuit intellectum &
animum tam humilem inspiravit. Tibi
quoque sicut venerabili fratri nostro &
magno Ecclesiaz Dei membro deferre pro-
ponimus, & preces tuas in his quæ à no-
bis secundum Deum postulaveris exaudi-
re. Super eo autem quod à nobis per tuas

Epiſt. 47.
Responsiva.

Raynaldus ad
an. 1202. §. 45.